Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1881
Quelle:
Copyright:

CCCCLXXV.

823 Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. 285. 8. continet *Stanislai Hosii* piissimi, doctissimique Card. Episcopi *Varmiensis* a. 1579. defuncti, cui impactam in *Jöcheri Lexico Eruditt.* calumniam nemo sanus absque indignatione legit, *Dialogum*, ut in edit. *Dilling.* 1559. 8. inscribitur, *de Eo, num Calicem Laicis, et uxores Sacerdotibus permitti, ac diuina officia uulgari lingua peragi fas sit;* germanice redditum a *Philippo Dobereiner*, cujus alios labores ad *Cod.* DXCVIII. indicavi. Sed Quaestiones hae inter *Aratorem* et *Harpagum* ventilatae, nostroque rursus tempore in scenam magno cum pondere missae alium quoque interpretem nactae sunt, cujus Versio prodiit *Dillingae* 1560. 4. cum *mspta* nostra annum 1559. in fronte et calce praeferat. Ad eas dignoscendas utriusque initium juvat contendere.

Codex.	Editio.
Arator. *Was sagstu lieber Harpage, ist dann dein maynung das man die angenomene vnnd durch die authoritet der gantzen kirchen bewerthe vnnd für recht gehaltene gewonheit, nemblich* &c.	Arator. *Harpage, was sagst du? Heltst du darfür, dass man verwerffen vnd verdammen soll die langhergebracht, vnd durch die heilig Christlich Kirchen approbierte vnnd bekrefftigte gewonhait, welche will* &c.

Codex πρωτοτυπῳ pressius inhaeret, quod habetur etiam in *Hosii Opp.* omnibus, et nominatim edit. *Colon.* 1584. T. I. p. 644.

CCCCLXXVI.

628 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XVI. Folior. 146. 4. sequentia complectitur: I. *Commentarium Contra impiam Deoque inimicam Haereticorum legem, quod liceat cuique impune ac sine aliquo impedimento de fide sentire et prædicare ut uelit. Per Petrum Illicinum J. V. Doctorem Canonicum Ecclesiæ Olomucen.* Praefatio ad *Rudolphum* II. Imp. cui etiam praesens Exemplar oblatum est, incipit: *Quemadmodum principis est prouidentissimi, Rudolphe Imperator inuictissime, vnicum Christianæ Religionis præsidium, non modo amplissimis et præstantissimis imperij sui membris sed alijs quoque subditis etiam minimis prospicere atque opitulari et tanquam Sydus aliquod assistere: ita subditorum est, qui tenuioris etiam sunt fortunæ, suo principi pro uirili sua in*